



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

8. Ob tot terræ beneficia, gratitudinem nostram exigi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

*moribus mutatur.* Quis enim vel hominem eum iudicet melius dignum, qui non solum ipse à labore abhorret, sed etiam induriam in alijs detestatur? Qualis fuit ille Sybarita, qui iter faciens, per agros, cum videret quosdam fodientes, dixit: *Sepe Etando illos fodientes rupturam capere.* Quid illi contigisset, si ipsi sarculum sumpsisset in manus? non ruptus modò, verum etiam diruptus fuisset, mediùsque crepuisset. Quis talibus terram mollem precaretur? quis agrum fecundum optaret? Si enim ab hominibus, Tullio iudice, *contemnuntur hi, qui nec sibi, nec alijs profunt; in quibus, ut dicitur, nullus labor, nulla industria, nulla cura est.* cur Deus desidiosus bona vitro cogatur suppeditare? Cessat terra, quia ipsi cessant. Non igitur illi agrorum, sed agri illorum inertiam imitantur. Itaque penes illos culpa est, penes quos est causa sterilitatis. Non ubique frumentum, ubique tamen terra ferta molumentum; etiam ibi, ubi montosa est, nam metalla ferta; aut si neque ista, saxa præbet, quæ pretijs venduntur, in statuas, aut columnas elaboranda. Denique in id varia est terra, ut alibi materiam suppeditet ædificandi, alibi medicinas subministret, alibi iumentis pabulum, alibi hominibus cibum pariat, ac ipsa hac raritate delectet.

VIII.  
S. Basil. orat.  
9.  
Idem Basil.  
hom. 5.  
Psalm. 115. 12.

Hac de causa D. Basilus docens, quocumque oculos quis circumferat, beneficentiæ fontes semper patentes videre: ad terram denique aspiciens, affirmat eam hominis pedes pro fulcimine subire, at fructus omnes vni tandem homini gignere. *Nam et bestia in huius muneris cõmunionem veniunt, ait, homini tamen principaliter mensa telluris adornata est. Ideoq; Lyricen Prophetam vocans, dum lyram pulsat, producit, inquit, fenum iumentis, & herbam servituti hominum. Bestiarum genus alit, & hominis famulitium, quibus eorum alimenta, hominis sint honestamenta.* Idem, in his omnibus plurima Dei beneficia, ac hominis iucundas utilitates agnoscens, ait, alio loco. *Si quando latius aridet vite institutum, illam deprecamur Davidis vocem: Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? Ex nihilo effecit, ut essemus, ac produxit; dono rationis ornavit; inuentum artium ad vitam tuendam, gratitudo contulit. Et terra visceribus alimenta eduxit. In misericordiam dedit omnigenam pecus. Propter nos imbres, sol, montana, campestrisq; regio pulchre ex-*



culta. Propter nos amnes fluunt; promanant fontium scatebrae; mare ad negotiandum naues admittit; & fodinis effodiuntur opes. At quid opus est, hac persequi? Deus ipse salutis nostrae causa, inter homines conuersatus est; Verbum caro factum est, & habitauit in nobis; sol ipse iustitiae medius eorum factus est, qui sedent in tenebris. Vita ipsa venit ad mortem, mortem autem crucis: ob mortuos resurrexit; Spiritus S. charismata distribuit: multiplices coronas promisit; delicias Paradisi; regni caelestis gloriam; & cetera, quae numerari non queant. merito vt exclamemus. Quid retribuemus Domino, pro omnibus, quae retribuit nobis?

C A P V T XVIII.

Varij modi, variisque cause, ob quas terra elementum indolem mutat, & verò, suapte natura immobile, tremit.

**M**agnam diuinæ beneficentiæ argumentum est terra, cuius muneribus, quia non solum aequissimum est priuari ignauos, sed multò etiam iustius plecti quosdam, qui in ea, in ignominiam Conditoris, viuunt: meritò eadem etiã subinde fit diuinæ iustitiæ & speculum, & instrumentum. In ea enim nonnunquam Numinis ira luculentè apparet. Neque vnus est per illam puniendi modus. 1. Terra relinquetur deserta, ait Prophetes. Vbi nemo habitat, ibi nemo arat, nemo metit. Quae incolae habet, regio, inquit Xenophon, magni pretij possessio est; eademque, si ab hominibus deserta sit, etiam commodis ipsis caret. Terra ergo deserta deserit & ipsa: ac saepe preuenit, vt deseratur. Nam 2. Etiam si sint, qui stiuam torqueant, qui vomere lacunam faciant, qui sulcum imprimant, qui semen iactent; immò qui centum aratris terram vertant, tamen nonnunquam aquae pessima sunt, & terra sterilis. 3. Aliquando aquae penitus nullae sunt, si clausum fuerit calum, & non pluerit, propter peccata mortalium. 4. Aliquando nimiae sunt, vt computrescant semina; & tantae, vt terram non rigent, sed mergant: sicut in diluuiò accidit. 5. Aliquando imbres frigore concresecunt, vt percutiant: sic fata verberantur, longiq; perit labor irritus anni. En pluam cras, ait, hac ipsa hora grandinem multam nimis. 6. Aliquando iam flaua Ceres manus & falcem postulat, cum noxiæ animantes spem propinquam

I.

II.

Isa. 6. 11.

Xenophon.  
lib. 4. de Institut. Cyri.

4 Reg. 2. 19.

3 Reg. 8. 35.

Gen. 7. 4.

Exod. 9. 18.